Theoph.

Martha, Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima; porro unum eſt neceſſarium. Luc. 10. n. 41. Theophylactus ibi ſic loquitur : *uno nobis opus eſt, nempe ut comedamus qualitercúmque, non variis.*

146. D. Ath. Secundò. D. Athanaſ. orat. in Aſcenſ. ait : *Quid ſtatis ſuſpicientes in cœlum? Quid ſtatis? mundo miraculum hoc prædicate.* Ac ſi eis dicatur : quid hic conſumitis tempus aſpicientes in cœlum, ſurgite de hoc loco adimplentes munus veſtrum Apoſtolicum, quo vobis commiſſum eſt, prædicare Evangelium, & agere de ſalute proximorum, quod maxime hauritur, ac participatur ex Chriſti intuitu, ac ejus mandato, & voce Apocalip. 22. n. 17. dicitur. *Qui audit, dicat veni*, qui audit Dei vocem vocantis, ipſe etiam alios advocet, & adducat. D. Gregor. homil. 14. in Ezech. *Cui enim jam vox vocantis Dei efficitur in corde, neceſſe eſt, ut proximis per prædicationis officium, erumpat in voce, & idcirco alium vocet, quia ipſe vocatus eſt.*

Salus proximorum maximè quærenda à prædicatore. Apoc. 22. D. Gregor.

147. D. Epiph. Tertiò. D. Epiphanius orat. in Aſcenſ. ſic loquitur Apoſtolis : *Quid cœlum oculis defixis intuemini eum potius, qui cœlum condidit veſtræ mentis luminibus uſurpate, atque ſtupendam illius clementiam, animique demiſſionem, ſummi miraculi loco ducite.* Ac ſi dicat : Quamvis vos in magnam admirationem rapiat tanta gloria, ac majeſtas Chriſti aſcendentis in cœlum, tamen inter tantas ejus glorias, atque tanquam ſummum miraculum magis debetis admirari *ſtupendam ejus clementiam*, tanquam quid illius ſupremum, ſicut animi demiſſionem Aſcendente Chriſto per admirationem clamant cœleſtes Spiritus. *Attollite portas Principes veſtras, & introibit Rex gloriæ, & dicunt : quis eſt iſte Rex gloriæ?* Pſalm. 23. n. 7. Regem gloriæ clamant ob ſtupendam ejus clementiam, qui cum eſſet ſupremus Rex, gloriam condidit non ſibi, ſed ſuis creaturis, etiam admirantes ſuam humilitatem, quòd in tanta gloria ſecum fert ſigna vulnerum, ac ſuæ demiſſionis, ut meditantur D. Aug. Rupert. infra qu. 25.

Summa Chriſti clementia, ac humilitas. Pſal. 23.

148. Oecumen. Quartò. Oecumenius ibi. *Per hoc autem, quod ait : quid ſtatis? adinonet illos, ut relicta cura de hac re Jeroſolymam redirent; juxta Domini præceptum, quo dixerat ab Jeroſolyma ne diſcederent*, & rurſus : *eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, uſque ad ultimum terræ.* Erant Apoſtoli toti impenſi omnibus viribus in contemplatione, ac meditatione glorioſæ Aſcenſionis Chriſti, & aliũde habebant mandatum à Chriſto D. ut eſſent Jeroſolymis, & ibi eſſent teſtes, & prædicarent ejus admiranda myſteria. Inde Angeli per modum increpationis dicunt : *Viri Galilæi*, quid ſtatis aſpicientes, cur non facitis, quod vobis præceptum eſt ne à Jeroſolymis diſcederent, & ibi eſſent teſtes, quod bene intelligentes ſacri Apoſtoli, ut dicitur numero ſequenti, *reverſi ſunt Jeroſolym.* Et ſi Deus multum delectetur noſtra contemplatione, ac meditatione, maximè tamen ei perjucundum eſt ut quiſque de ſuo officio intendat, ac de proximorum ſalute agat, ac pro illa totis viribus incumbat.

Gratius Deo de aliorum ſalute agere, quam orare.

149. Cum Moyſes eſſet in monte in altiſſima, & fervida oratione cum Deo; Tunc populus peccavit peccato grandi adoratione Vituli; quod cum contingeret, ait Deus Moyſi : *Vade deſcende, peccavit populus tuus.* Exod. 32. n. 7. Quid eſt, quod ex eo quod populus peccavit, mandat ad populum, cum multa emphaſi dicitur : *populus tuus* : cujus tu es dux, gubernator: cum ergo tuus ſit terminum orationi impone. Ac ſi ei dicat Deus, totam curam pone in ſalutem populi, ejus delicta puniendo, ipſumque ad pœnitentiam diſponendo, ut à tanto peccato exurgens coram Deo miſericordiam inveniat; non alienus ab hoc ſenſu eſt Philipp. Abbas lib. 2. in Cantica cap. 4. ad illa verba Sponſi ad Sponſam, paſce hædos tuos, Cant. 4. Ut eos tanquam ſuos paſcat; ſic ait. *Ut curam illorum ampliorem ingerat, quæ eiſdem curandis invigilet, & ad ſtatum provehat meliorem, ſicut Moyſi dixit; deſcende, peccavit populus tuus.*

Exod. 32. *Magis vigilandum in ſalute populi, quam in oratione.* Cant. Philipp.

150. Totam integram noctem cum luctamine cum Angelo conſumpſit Jacob, tandem Angelus dixit ei : *Dimitte me, jam enim aſcendit aurora*, Gen. 32. n. 26. Angelus fortior erat Jacob; cur poſtulat, ut ab eo dimittatur; & valde mirabilem rationem aſſignat; *quia aſcendit aurora* : ſeu quia dies jam eluceſcit, ſi lucta per totam noctem perduravit, cur etiam per diem non perſeverabit? Hanc luctam exponit Propheta Oſeas de Oratione cap. 12. n. 5. *Rogavit & flevit ad eum* : Inde ait Angelus Jacob: *Dimitte me, jam aſcendit aurora.* Jacob erat paterfamilias, & quamvis tota nocte perſeveraſſet in oratione cum Deo, cum tamen jam dies clareſceret, conveniens eſt ut Jacob poſito termino ſuæ orationi, conſulat ſuo muneri, humaniſque negotiis vacaret, ac ſuæ familiæ invigilare deberet. Dionyſ. Carthuſ. ſic ait : *Dimitte me, quaſi dicat, hora jam imminet, in qua te oportet circa temporalia occupari.*

Gen. 32. Oſeæ. 12. *Pater familias dimittat orationem, ut familiæ conſulat.* Carthuſ.

QUÆSTIO XXIII.

Quare ſacri Apoſtoli tantum ſtabant aſpicientes, & nec unum verbum dicunt, nec loquuntur?

151. *Quid hic ſtatis aſpicientes?* Quanquam verbum ſtare in Scriptura, idem valeat, ac adeſſe; Ut Math. 16. n. 28. *Sunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem*, Joan. 1. n. 26. *Medius autem veſtrum ſtetit.* Cum hæc ita ſe habeant; exiſtimo tamen quod rectè dicitur de Apoſtolis, *quid ſtatis*, quia non ſedentes, ſed pedibus, recto corpore (ut habet communis pictura Eccleſiæ in hoc myſterio) omni animo, & affectu ſtabant tanquam volentes ſequi, & concomitari Chriſtum.

Matth. 16. Joan. 1.

152. Quæſtio præſens eſt, cur in tam admirabili arcano Apoſtoli ſemper tacent, & nullum verbum dicunt, nec loquuntur tam inter ſe, quam cum Angelis, & aliquid dicunt, & reſpondent, cum in tam admirabili myſterio multa eſſet materia loquendi.

Difficultas quæſtionis.

153. Reſpondeo primo. Quod ſacri Apoſtoli, nullum verbum dicebant, tum dolore magno ex abſentia ſui Magiſtri, tum ex gaudio tantæ ejus gloriæ, ac majeſtatis : vehemens dolor ſæpè vocem adimit. Juxta crucem ſtabant Maria mater ejus, & Joan. 19. n. 25. & tamen non loquebantur, ut ponderat D. Bernard. de lamentatione Virginis, & ait : *Tacebant illi duo martyres, & præ nimio dolore loqui non poterant.* Et de D. Petro ait Ambroſ. ſerm. 48. *Petrus prorumpit ad lachrymas, nil voce precatur*; ſic & amici Job cum veniſſent ad eum viſitandum, ſederunt cum eo ſeptem diebus, & ſeptem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum : *videbant enim dolorem eſſe vehementem.* Cap. 2. n. 13.

Dolor, ac triſtitia non ſinit loqui. Ioan. 19. D. Bern. Matth. 26. D. Ambroſ. Ioan. 6.

154. Sic & ſæpe vox intercluditur ex gaudio, quod non ſinit loqui. Reſuſcitatus Dominus apparuit ſuis diſcipulis cum eſſent congregati, & oſtendit eis manus, & latus; *Gaviſi ſunt diſcipuli viſo Domino* : Joan. 20. n. 20. Luc. 24. n. 41. Valde mirum, quod videntes diſcipuli ſuum Dominum ſuſcitatum, cum tanta gloria ac ſplendore, nulla verba gratulatoria proferunt, ſuumque gaudium, ac jubilum nullo verbo oſtendunt. Beda ait : *Admirati, ac obſtupefacti in tanta lætitia neſciunt loqui.* Et fortè ex hac cauſa Sunamitides accipiens filium ſuum ſuſcitatum à Parente noſtro Eliſæo gratulabunda *corruit ad pedes ejus*

Gaudium intercludit vocem. Ioan. 20. Luc. 24. Beda. 4. Reg. 4.

4. Reg. 4. 4. Reg. 4. num. 3. ſuperabundans gaudium non ſinebat eam loqui.

155. D. Chryſ. Secundò, meritò D. Chriſoſt. ponderat ſerm. 4. de Aſcenſ. Quod in monte Thabor, *Petrus cum magna fiducia reſpondit : bonum eſt nos hîc eſſe : Nunc vero, nec loqui quidem potuit aliquis diſcipulorum, nec os aperire.* In vertice Thaboris exhibuit Ieſus, quandam umbram, ac oſtentationem ſuæ gloiæ, *reſplenduit facies ejus ſicut Sol, veſtimenta ejus facta ſunt alba ſicut nix*, vox Patris de cœlo intonuit hic eſt filius meus dilectus, tunc Petrus loquitur, & audet dicere : *bonum eſt nos hîc eſſe.* Math. 17. n. 4. ex vehementi impulſu tanti gaudij. At verò nunc, cum Dominus glorioſè aſcendit, & portæ cœli tunc primùm reſerantur, & tota cœleſtis Angelorum curia obviam venit ſuo Domino, & Angeli deſcendunt de cœlo ad Apoſtolos admirantes, & dicunt : *Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum.* Cur Apoſtoli tunc nec loquuntur, nec reſpondent, ſed tacent? Ut olim Petrus dixit in Thabor : *Bonum eſt nos hic eſſe* : & ſi ad umbram, & ſimilitudinem gloriæ homo loquatur, tamen à magnificentia, ac celſitudine veræ, ac propriæ gloriæ ita mens obruitur, ac obſtupeſcit, ut nec unum verbum valeat proferre, ſed cum ſubmiſſione, videre, ac contemplari.

Matth. 17. *Cœleſtis gloria non poteſt explicari verbis.*

156. Ait divina Sponſa. *Egredimini filiæ Sion, & videte regem veſtrum Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.* Cant. 3. n. 11. ubi juxta multos Patres apud Cornelium, ſermò eſt de corona gloriæ, quam Chriſtus D. habet in cœlo, juxta illud Pauli Hebræ 2. n. 6. *Vidimus Jeſum per paſſionem gloria, & honore coronatum.* Tamen merito dubitabis quare non exprimitur quale ſit hoc diadema, an ex auro, vel argento, ut maximè declaratur de ejus ferculo : *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum, media charitate conſtravit.* Cant. 3. n. 9. & 10. ſi tantus eſt ſermo in explicando ferculo, cur nec unum verbum de diademate? Philippus Abbas lib. 5. in Cant. *Quale ſit diadema an ex auro, vel argento non dicitur, ut de ferculo, ſed contemplatione habetur.* Ferculum eſt geſtatorium in via, & per hoc denotatur gloria, quam Chriſtus habet in ſua Eccleſia militante, ejus Libani perduratione argentea veritate doctrinæ Doctorum, aurea fidelitate miniſtrorum aſcenſu purpuris innumerabilium martyrum, eximia charitate qua à ſuis ſervis diligitur, & amatur, ſermone explicari poteſt, at gloria, & honore, quo in cœlo coronatur, *non dicitur ſed contemplatione habetur.* Vide tom. 2. Apoc. cap. 21. qu. 16. n. 135. 136. 137.

Cant. 3. Hebr. 2. Cant. 3. Philipp. *Cœleſtis gloria non dicenda, ſed contemplanda.*

QUÆSTIO XXIV.

Quare ſacri Apoſtoli, cum Chriſtus aſcenderet in cœlum, nullum dant ſignum triſtitiæ, ut fecit Eliſæus cum videret ſuum Magiſtrum Eliam aſcendentem?

157. Cum Eliſæus vidiſſet ſuum Magiſtr. Eliam aſcendentem in cœlum, voce magna clamat: *Pater mi, Pater mi, currus Iſrael, & auriga ejus, & non vidit eum amplius : apprehendit veſtimenta, & ſcidit illa in duas partes.* 4. Reg. cap. 2. n. 12. Cur Eliſæus tot verbis, ac doloris ſignis oſtendit ſui animi angorem in diſceſſu ſui Magiſtri Eliæ, non verò ſic Apoſtoli, nec tale ſimile faciunt, an minus amabant, quam Eliſæus? abſit, & multo magis amabant; cur ergo talia ſigna non exhibent?

4. Reg. 2.

158. Præclarè reſpõdet D. Chryſoſt. ſerm. de Pentecoſt. *Nec hoc faciunt Apoſtoli, quod Eliſæus feciſſe docetur; conſcidit veſtimentum, cum Magiſtrum viderat elevatum ad cœlum; Non enim habuit præſentem Angelum, qui Eliam promitteret advenire; Ne igitur iſti hoc faciant, ideo Angeli ſtabant, & animis eorum, triſtitiæ ſolatium relevantes.* Ploret, & luctum habeat Eliſæus, qui abeuntis amici, ac Magiſtri, non certificatur de reditu; non verò Apoſtoli lugeant, nec ſigna triſtitiæ oſtendant, ſed magnam conſolationem accipiant, cum de ſui Domini reditu cum magna gloria, & majeſtate certi facti ſunt; & ideo miſſi ſunt Angeli, ut ſacris Apoſtolis darent tantum levamen cum reiterato adventu ſui Magiſtri.

D. Chryſ. *Qui de amici reditu eſt certus non lugeat.*

159. In ultima cœna erant ſacri diſcipuli maximè triſtes, ac conturbati de morte Domini, & ait illis Chriſtus : *Non turbetur cor veſtrum, neque formidet; audiſtis quia ego dixi vobis; vado, venio ad vos.* Ioan. 14. n. 28. Ac ſi dicat: Non anxietur ac affligatur cor veſtrum, quia ſi ego per meam mortem vado à vobis, ita etiam per meam glorioſam reſurrectionem, veniam ad vos. Noſter D. Cyrill. Alexand. ad citatum locum ſic ait, *Quoniam non abiturum ſolum, ſed rediturum me affirmavi, cur quòd mœrorem adferre poteſt, animo ſolvitis, & quod lætitiæ cauſa eſt, non recordamini.* Magnam conſolationem dat Chriſtus ſuis diſcipulis, ut dolor acceptus ex ejus morte, mitigaretur certa ſpe reſurrectionis; vult enim Chriſtus, ut ſui non ſint mærore confecti, ac depreſſo animo. Vide ſupra qu. 17. n. 118. & 119.

Ioan. 14. *Chriſtus vult ſuos diſcipulos hilares, & non triſtes.*

QUÆSTIO XXV.

Quare cum Chriſtus D. aſcenderit benignus, & clemens, & veniet ad judicium ſeverus, & aſperus : dicitur quod ſic veniet quemadmodum vidiſtis aſcendentem?

160. *Sic veniet*, inquiunt Angeli, nempe ad judicium, & de ipſo ultimo adventu eſt ſermo, ita communiter Patres, Tertull. lib. de carne Chriſti cap. 24. & lib. de Reſurr. cap. 31. D. Ignat. epiſt. ad Smirn. D. Leo, D. Cyprian. D. Epiphan. in ſermonibus de Aſcenſ. D. Auguſt. ſerm. de Aſcenſ. & de tempor. 180. hoc loco, D. Chryſoſt. Beda, Carthuſ. & alij.

Tertull. D. Ignat. D. Leo. D. Epiph. D. Cypr. D. Chryſoſt.

161. Ex quo inſurgit grandis quæſtio quomodò dicitur ſic veniet, quemadmodum aſſumptus? Chriſtus aſcendit in cœlum totus benignus, & clemens, veniet terribilis, & ſeverus quomodo ergo ſic veniet, quemadmodum aſſumptus? Quid habet clementia cum duritia; benignitas cum ſeveritate?

Difficultas quæſtionis.

162. Reſpondet primo D. Auguſt. ſerm. 179. de tempore, & ait : *Sic veniet clavorum vulnera illæſa demonſtrans, & foraminum cruenta monilia vobis filiis ſponſi cùm coronam exhibebit cœleſtis imperij, crucis vulnera non mutabit; quia ſignum filij hominis fulgebat.* Nota verba Text *Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis*, ſic veniet vobis, aſcendit portans vulnerum ſigna, afferens illa ſuo æterno Parenti : ſic veniet oſtendens eadem vulnera, ac ſignum filij hominis nempe crucem ſuam oſtendens quibus, & talibus ſignis, præparavi vobis ſponſi filiis coronam gloriæ, quæ vobis præparata eſt à conſtitutione mundi. *Vobis filiis ſponſi exhibebit coronam cœleſtis imperii.*

D. Auguſt. *Chriſtus ſuavis ac beneficus ſuis.*

163. Secundò, Galfridus apud Tilmanum in Allegoriis ad cap. 21. Lucæ. *Nec modo*, ait, *adventus ejus poſterior à priore longè alius erit, ſed ipſa ejus qualitas valde diſſimilis, ſiquidem turbulentiſſimo ſæculi tempore veniet ejus reparare ſtatum cujus pacatiſſimo tempore, veniet prædicare contemptum Occultum ſe prebuit in ſæculi gloria, ſed manifeſtabitur in ruina Væ qui apparere in proſperis, latere cupit in adverſis,*

Galfrid.

In proſperis modeſtia, in adverſis animoſitas.

nec caput dimittunt inter proſpera humiles, nec levant inter adverſa ſecuri. In primo adventu venit Chriſtus humilis, abſconditus, & pacificus. In ſecundo veniet manifeſtus, glorioſus, & ſeverus. Unde tanta diverſitas? Hanc ipſe non fecit, fecerunt tempora. In primo adventu, toto orbe in pace compoſito, omnia multa ſuavitate, ac quiete florebant. At in ſecundo adventu omnia terribilia, *exurgent prælia, & ſeditiones, & terræmotus magni erunt per loca, & peſtilentiæ, & fames*; Luc. 21. n. 9. Chriſtus D. veniens inter proſpera, & pacifica exhibuit, ac declaravit ſuam ſuavitatem, ac modeſtiam; Inter ſeditiones, ac oppeſſiones, & prælia, oſtentabit ſuam magnitudinem, ac potentiam ſuæ fortitudinis, ac aimoſitatis. (Luc. 21.)

164\. (Galfrid.) Quod confirmat citatus Galfridus dicens: *His autem fieri incipientibus terræ ſcilicet motibus, confuſione ſonitus maris & fluctuum, ſignis in Sole, & Luna, & Stellis, levate capita veſtra. Non expectemus, ut mundus nos obruat, quia neceſſe eſt ruat; Dimittamus in proſperis capita, ne vanitatis aura nos capiat; levemus in adverſis capita ne nos torrentis mergat unda, vel trahat; levandum eſt caput, & reſiſtendum his, qui dicunt incurvare.* Ponderat Mag. Doctor. (Luc. 21. Eccleſia.) Quod dicitur Luc. 21. n. 28. *His autem fieri incipientibus reſpicite, & levate capita veſtra.* Econta Eccleſia clamat. *Humiliate capita veſtra Deo*: Si humiliandum eſt caput, quomodo elevandum. Humiliandum in proſperis, ne ex tanta felicitate *vanitatis aura vos capiat*; tempore vero tribulationis, ac contradictionis, animosè levandum eſt caput ad ſubſiſtendum; *Levemus in adverſis capita, ne nos torrentis mergat unda, vel trahat.*

Humilitas in proſperis, animoſitas in adverſis.

165\. (D. Aug.) Tertiò. D. Auguſt. ſerm. 7. de Aſcenſ. ait: *Sic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum; non veniet vobis terribilis; ſic veniet in ipſo corpore, vobis in amore, impiis in terrore; beati quibus dicitur, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum, nunquid ſic veniet oculis peccatorum? erit ipſa veritas, ſed non erit ipſa ſecuritas. Dies erit timendi judicii, deſcenſus Angelorum.* Sic veniet vobis electis, & dilectis, terribilis, & durus, & terribilis, maximè cum veniat cum miniſtris: *deſcenſus Angelorum*: Deus cum miniſtris maximè timendus, nam ubi Deus ſolus, ibi pietas, ex adjunctis creaturis ibi ſeveritas, & rigor, ut ponderavi tom. 4. in Evang. cap. 27. de Prodigo q. 18. n. 139. 141. 142. ſolus ut clemens aſcendit, veniet ſeverus, & terribilis cũ miniſtris.

Chriſtus ſolus clemens cum miniſtris ſeverus.

166\. (Rupert.) Quartò. Rupertus lib. de timore cap. 8. ait. *Qualem viderant euntem in cœlum? viderant euntem cum forma ſervi, viderant in manibus ejus, & pedibus ejus fixuram clavorum, viderant latus ejus lancea vulneratum, & talem ſuſceperant nubes ab oculis eorum. Grande, & dulce gaudium intuentium, quia talis elevatus eſt, & grandis timor, ac tremor expectantium, quia talis ſic veniet, nempe ad judicium*, Viderant euntem Dominum cum forma ſervi, & cum ſignis clavorum, talem videbunt, & venientem ad judiciũ. *Grande, & dulce gaudium intuentium* electorum, qui tantum, & talem habuerunt Dominum, qui pro eorum ſalute tot, & talia pertulit. *Grandis, timor ac tremor expectantium* iniquorum ſupremum Regem, qui tanta in ſuo corpore pro ipſis lucrandis pertulit, & ipſi in omnibus contemnentes grandia crimina commiſerunt.

Vulnera Chriſti gaudium juſtis, timor iniquis.

167\. Quintò. Ponderatione digniſſimum. Cur in die tantæ ſolemnitatis, ac feſtivitatis Aſcenſionis Chriſti, obiicitur ante Apoſtolorum oculos horribile, ac tremendum judicium; paulo antea ſupra n. 8. promiſerat eis Chriſtus D. ſupremum munus advenientis Spiritus ſancti, & inſuper, *eritis mihi teſtes in Ieruſalem, Samaria, ac univerſa terra.* Conſtituerat eos Doctores, ac Magiſtros in univerſo mundo, ideo eis proponitur finale judicium; ſciant quod quamvis ſint elevati in tanto dignitatis apice, quod adveniet judicii tempus, in quo de tanto munere commiſſo reddituri ſint rationẽ. Ultimo apparens Chriſtus ſuis Apoſtolis: *exprobravit incredulitatem eorum, & duritiem cordis.* Marc. 16. n. 14. & poſtea ſubdit: *euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* In quo eos conſtituit Principes in univerſo Orbe; tamen prius increpavit eos, ſciant quod adeſt ſupremus Dominus, qui valet judicare, & diſcernere inter unum, & alterum, bonum laudare, ac præmio afficere, malum reprobare, ac increpare, & etiam pœna mulctare.

Marc. 16. Sciant miniſtri quod ſint reddituri rationem.

168\. In prima orbis conditione, dixit Deus: fiat lux, & facta eſt lux; dixit Deus fiat firmamentum; dixit Deus producat terra herbam virentem, dixit Deus fiant luminaria magna; dixit Deus: producant aquæ reptile animæ viventis. At cum ad creandum hominem devenitur diverſa forma verborum utitur. *Formavit Dominus Deus hominem.* Gen. 1. n. 7. (Gen. 1.) In aliis rebus condendis, dicitur Deus tantum, at verò in creatione hominis, non dicitur ſolum Deus, ſed *Dominus Deus*, quod optimè notavit Tertullianus lib. (Tertull.) adverſus Hermo. cap. 5. *In principio fecit Deus cœlum & terram, & dixit Deus, fecit Deus, vidit Deus, nuſquam Dominus; at ubi univerſa perfecit, ipſum quoque vel maximè hominem, qui propriè Dominum intellecturus erat, Dominus etiam appellatur; ac inde Dominus, qui retro Deus tantum.* Cur ergo dum creatur homo, non dicitur ſolum Deus, ſed Dominus Deus? conditus fuit homo, *ut præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli: Dixitque ei Deus creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam, & dominamini piſcibus maris.* Ibid. n. 17. Creatu eſt homo ut eſſet princeps, ac dominator totius terræ, ideo in ejus formatione omnium creator dicitur *Dominus Deus.* Ut in tanto rerum faſtigio cautus ſit homo certo ſciens, & agnoſcens, quod habet ſuperiorem, ſupremum Dominum, qui cuncta eſt diſcuſſurus, quia ſicut ab eo accepit omnia, ſic ab eo de omnibus eſt judicandus, de omnibus reddenda ratio.

Miniſtri habent Dominũ cui dabunt rationem.

QUÆSTIO XXVI.

Quare duo Angeli venientes ad Apoſtolos, brevi ſermone habito ſtatim volant, & recedunt?

169\. VEnerunt duo Angeli cum ſtolis albis pro ſolemnitate tantæ feſtivitatis, & ſimul ut conſolationem darent Apoſtolis, cur ergo brevi verbo dato ſtatim recedunt? Quod ponderavit Tilmannus in Allegoriis, & ait: *Mirum, & inquiſitione dignum videntur, cur tam pauci miſſi ſunt? Cur tam pauca locuti, cum & rei dignitas atteſtantium poſceret multitudinem, & Apoſtolorum deſolatio non modica conſolatione indigeret.* Nota ſequentia verba: *Idcirco tam pauci venere, ne tam feſtis deeſſent ſolemnibus, & venere, regreſſu celeri novis gaudiis ſe ſe admiſcuerunt, quia ſufficiebant ad tantam diei ſolemnitatem, ſicut & in die reſurrectionis duo Angeli venerunt*, Luc. 24. n. 4. Tam pauca locuti ſunt, & ſtatim quia illa brevis locutio ſufficiens erat ad erudiendũ Apoſtolos; ac ad eorum mœſtos animos conſolandum, ſuo officio fideliter peracto, ſtatim celeriter ad cœleſtem contemplationem remearunt. Optimi miniſtri, munere ſibi commiſſo expleto, in nullo alio ſe miſcent, ne ſordeſcant.

Boni miniſtri non excedunt ſuam commiſſionem.

170\. Cum Zacharias eſſet offerens in templo, apparet ei Angelus Gabriel, & cum multa prænunciaſſet, de nativitate

(Luc. 1.) nativitate Baptiſtæ, ſubdit Angelus: *Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Deum, & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi evangeliſare*; Luc. 1. n. 19. duo dicit Angelus de ſe, quod ſit aſtans ante Deum, deinde quod *miſſus eſt loqui ad te, & hæc tibi evangeliſare*; hoc ſecundum ſufficiebat, ad quid addit, quòd eſt Angelus aſtans ante Deum; tam familiare eſt miniſtris aliquid de ſuo addere, vel dicere, quod, ut crederetur Gabrielem ſincere dicere, & evangelizare ea ad quæ miſſus erat, fuerit neceſſarium exprimere, quod erat Angelus, & unus ex primariis, qui aſtat ante Deum; D. Chryſoſt. in Caietan. ait: *Ut cum audias à Deo miſſum fore, nihil humanum exiſtimes ex his, quæ tibi dicuntur, neque ex me loquor, ſed mittentis relata denuntio. Hæc eſt enim nuntii bonitas, ut nihil ex ſe referat.* (D. Chryſoſt.)

Solum miniſter de cœlo non addit aliquid de ſuo.

171\. De Dei mandato parens Elias unxit Eliſæum Prophetam pro ſe, miſſo pallio in eum; tunc Eliſæus ait: Oſculer, oro patrem meum, & matrem meam, & ſic ſequar te; cui ait Elias, *quod meum erat, feci tibi, vade*, 3. Reg. 19. n. 20. (3. Reg. 19.) Quid eſt quod cùm Eliſæus poſtulat facultatem ab Elia oſculandi, ac ſalutandi parentes ſuos, Elias reſpondet: *Quod eſt meum feci tibi*: Ac ſi diceret, quod mihi eſt commiſſum, ac quod mei muneris eſt, feci, à reliquo abſtineo, & non me intromitto, ſed quæ ad te ſpectant, tu age. (Abulenſ.) Abulenſ. ibi q. 26. ait in perſona Eliæ: *Quod meum erat, id eſt, quod mihi erat juſſum à Deo fieri, jam feci, nunc ſupereſt ſolum, ut tu agas, quod ad te pertinet.* Vide tom. 3. in Evang. cap. 18. deſignantur ſeptuaginta n. 9. & 10.

Dei miniſter ſolum agit, quæ ei jubentur.

Act. 1. *n.* 12. Tunc reverſi ſunt Jeroſolymã, à monte, qui vocatur Oliveti, qui eſt juxta Jeruſalem, Sabbati habens iter.

Num. 13. Et cum introiſſent in Cœnaculũ, ubi manebant Petrus & Ioannes, Iacobus & Andræas, Philippus, & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphæi & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi.

N. 14. Hi omnes erant perſeverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Ieſu, & fratribus ejus.

VERSIONES.

Syrus n. 12. Qui vocatur domus olivarum, qui eſt juxta crepidinem, &c. & diſtat ab ea ſeptem ſtadiis.

Antiquus Codex. A monte trium luminum.

Arabic. Regreſſi ſunt de monte nuncupato, monte Olivarum proximo Jeruſalem ſpatio itineris Sabbati.

Æthiopic. Qui remotus eſt ſpatio curſus viri, quod eſt iter primi Sabbati.

Syrus n. 13. Aſcenderunt in Cœnaculum, in quo degebant Petrus, & Joannes.

Arabic. In quo morabantur.

D. Chryſoſt. In quo erant permanentes.

Oecum. Manſitabant.

Syrus n. 14. Erant perſeverantes in oratione una anima; erant aſſidui pariter in oratione, & ſupplicatione.

Cajetan. In deprecatione, & obſecratione.

EXPOSITIO VII.

172\. Verſ. 12. *TUnc reverſi ſunt Jeroſolymam*, adimplentes Chriſti D. mandatum, quo præceperat, Luc. 24. num. 49. (Luc. 24.) *Vos autem ſedete in civitate, quouſque induamini virtute ex alto*, & hic etiam ſupra num. 4. *Conveſcens præcepit eis ab Jeroſolymis ne diſcederent*: & ſequitur Text. *à monte Oliveti*; ex quo bene infertur Chriſtum ex monte Oliveti aſcendiſſe in cœlum. *Sabbati habens iter*: non quod Chriſtus aſcenderit in cœlum die Sabbati, ut putavit D. Chryſoſt. (D. Chryſ.) & deſignatur diſtantia, quanta erat à monte Oliveti uſque ad Urbem, quæ licebat Judæis per iter agi, ut permittebatur Judæis in die Sabbati; nam Judæi multa religione Sabbatum obſervabant.

173\. Verſ. 13. *Et cùm introiſſent in Cœnaculum, aſcenderunt*; ſic habet Romana editio: (Editio Romana.) ſed juxta radicem Græcam disjungendum eſt. Cum introiſſent, ſcilicet, in urbem, vel domum: *In Cœnaculum aſcenderunt*: in ſuperiorem domus partem, quod factum ex duplici cauſa, ut notant Gloſſa, Lyranus, Hugo; (Gloſſa. Lyran. Hugo.) & prima, ut eſſent ſecretiùs propter timorem Iudæorum, quia adhuc non erant Spiritus gratiâ roborati; Secunda, ut ibi vacarent libentiùs, ac quietius orationi.

174\. *Petrus*, tam hic quam paſſim in Evangelio primus nominatur, ut prima perſona Eccleſiæ, ac caput Apoſtolorum. *Iacobus Alphæi*: ſcilicet, ejus filius, qui dicitur minor ad differentiam alterius Iacobi, & fuit primus Epiſcopus Ieroſolymorum: *Simon Zelotes*: ſeu Cananæus, ita dictus Hebraicè Cananæus, id eſt, Zelotes, alii, quia erat ex Cana Galilææ; *& Iudas Iacobi*: id eſt frater Iacobi minoris & etiam filius Alphæi, erant iſti quatuor fratres ſanctiſſimi; Iacobus minor, ſeu Alphæi, frater Domini appellatus; Ioſeph, Simon Zelotes, & Iudas, (Math. 13. Marc. 6.) Matth. 13. num. 55. Marc 6. n. 3. omnes ſunt cognati Chriſti, ex quibus tres elegit in Apoſtolos, ſcilicet Iacobum, Simonem, & Iudam. Alta, & divina Providentia D. Lucas hic expreſsè ponit nomia omnium Apoſtolorum, quia tempore Paſſionis, omnes Apoſtoli, relicto eo, fugerunt, Math. 26. n. 56 Marc. 14. n. 50. Ut ita apertè cognoſcatur, quod tempore Aſcenſionis omnes erant jam congregati, & uniti cùm Chriſto: de excellentiis Sanctorum Apoſtolorum latè tom. 2. in Apoc. cap. 21. à q. 24. & deinceps.

175\. Verſ. 14. *Hi omnes erant perſeverantes in oratione*; ſeu ut legit Arabic. (Arabic.) *Aſſidui pariter.* Text. *unanimiter.* Syrus: (Syrus.) *Una anima*: In his denotatur magna excellentia orationis, tum ex aſſiduitate, ac perſeverantia, tum ex unitate cordium, ac animorum, ut notant Beda, & Hugo: (Beda. Hugo.) *Cum mulieribus*: de quibus fit mentio Matth. 27. n. 56. (Matth. 27.) *Et Maria matre Ieſu*: quæ erat prima, & principaliſſima perſona, & ut mater; *& fratribus ejus*: id eſt, cognatis, ſeu diſcipulis, ſeu viris ejuſdem religionis, de quo latius infra q. 30.

QUÆSTIO XXVII.

Explicantur dies, & locus Aſcenſionis, & iter Sabbati, ac Cœnaculum, in quo manebant Apoſtoli.

176\. QUatuor in hac quæſtione ſunt notanda. Primò dies Aſcenſionis Chriſti. Quo die Chriſtus D. mortuus ſit, jam tractavi tom. 5. in Evãg. lib. 8. c. 14. q. 4. Communis ſententia eſt, quod mortuus, ac crucifixus eſt die 25. *Martii*, quo die eſt incarnatus, ita Tertull. lib. contra Iudæos cap. 8. D. Chryſoſt. ſer. de nativit. S. Ioan Bapt. D. Aug. lib. 18. de Civit. cap. ult. D. Tho. in c. 2. S. Ioan. & multi alii Doctores & hanc ſententiam tenet Eccleſia in Martyrol. die 25. Martij, ita habet: *Ieroſolymis. commemoratio S. Latronis, qui in cruce Chriſtum confeſſus eſt ab eo meruit audire hodie mecum eris in Paradiſo.* Mortuus noſter Salvator die 25. Martij, reſurrexit die 27. Martij, aſcendit in cœlum die 5. Maij. Miſſus eſt Spiritus S. die 15. Maij.

Quo die Chriſtus aſcendit. (Tertull. D. Chryſoſt. D. Auguſt. D. Thom. Martyrol.)